



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Eneph, Ægyptiorum Deus. Creator & creatio mundi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

DE ENEPH, ÆGYPTIORUM DEO.
CREATOR ET CREATIO MUNDI. CAP. I.

Eneph explicatio descriptio.

PER Eneph, quem pro Deo colebant Ægyptii, ipsum totius mundi atq; universitatis creatorem opificemque pulcherrimo hieroglyphico ostendebant: cui hominis formam tribuebant, eumq; cœrulea veste indutum, zonamq; tenentem & sceptrum pingebant, ac ejus in capite pennam ponebant: ut testatur Eusebius in libris de præparatione Evangelica. Penna enim in capite, significat difficilem inventu esse creatorem, & nemini conspicuum, sed sublimem, non modo supra sensum verum etiam supra humanæ intelligentiæ captum: humana vero forma, eundem vitæ autorem, & motu qui intellectu comprehendi possit, circulatam indicabat, quoniam ut hominis corpus quidem cernitur, mens vero ipsa quæ hominem à cæteris animantibus disjungit, estq; ejus naturæ propria, cerni à nullo potest: sic etiam Dei ac summi opificis actiones & motus, quæ ipse in sacris literis *Posterior* vocat, non secus atq; Aristoteles effectus *Posteriora*, causas vero *Primæ* nominat, ab humano intellectu cerni possunt: mens vero ipsa & Divina natura, quæ illa moderatur & gubernat, in hujus corporis carcere absolute cognosci non potest: & ideo cœrulea veste indutum eam pingebant, ut cœlestem illum esse significarent, & in cœlo habitare, nullius coloris vel accidentis, mixtionisve participem, etiam si nobis ea fortasse suscipere videatur: & modo irasci, modo placari, quemadmodum cœlum ipsum, cum nullius coloris sit, propter intervalli longitudinem cœruleum videtur: & sic simul quoq; ejus naturam tantum à nostra distare indicabant, quantum cœlum a terra distat. Sceptrum vero potestatem ejus regiam in universam naturam significat, & zona vinculum, quo creati omnia colligat, & quo vitæ necisq; fata continet: hoc est, ortus atq; interitus, & rerum naturalium causas. Est autem zona circulus ille, quem Astronomi Zodiacum vocant. Præterea hunc Deum ovum ex ore producentem faciebant, quod mundum significabat: Dei verbo creatum, ut etiam Sacra literæ testantur.



DE PANE ARCADIÆ DEO,
VEL SATYRIS ET FAUNIS.
UNIVERSUM VEL MUNDUS.

CAP. II.

Panes figura, ejusque explicatio hieroglyphica. De eadem figura & hieroglyphico. Pivm lib. 10. Cap. 4. Ideo Sacro. Saturni lib. 1. c. 22.

PANE, quem & Innuum & Faunū vocavere, sic pingebant veteres; Caprina facie, rubro colore, hirtis cornibus, varia Pantheræ pelle indutū, infima sui parte hispida, & caprino pede: altera manu fistulā septē calamorū tenentem, altera pedum sive baculum incurvum: hæc figura universi symbolū contineri volebant. Facies n. rubens æthera significat, bina cornua Solē & Lunā, Pantheræ pellis cœlestiū siderū varietatem: pars ejus inferior hispida fingeatur, propter arbores, virgulta & feræ caprini pedes terræ soliditatem ostendunt: fistula septē calamorū, harmoniā cœli,



in qua